

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. VIIII. De arteriis humerali, cubitali atque radii, earumque ramis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

positos ossi musculos circumflexa, plures ramulos emittit. Ad ipsam dicti musculi imam oram arteria axillaris circumflexam anteriorem, minorem, edit, quae, datis pluribus ramusculis, ad musculum bicipitem procedit. Vid. A. de Haller fasc. VI, tab. II. III. IIII.

### CAP. VIII.

#### De arteriis humerali, cubitali atque radii, earumque ramis.

##### §. I.

**E**ditis his ramis arteria, quæ huc usque *Arteria axillaris* dicta fuit, iam humeralis, (*bra-*  
*chialis*) nomen recipiens & super musculum brachiale internum descendens, atque dein in bicipite se abscondens varios ramos in decursu antrorsum ac retrorsum emittit, & sub cubiti flexura, in cubitalem (*ulnæ arteriam*) atque arteriam radii dividitur. Arteriam brachialem quandoque statim in principio suo, vel in humeri medio, in duas brachiales dividi, a me aliisque observatum est; & tunc cubiti atque radii arteriæ utriusque cubitalis continuationes sunt. Vid. A. de Haller l.c. fasc. VI. tab. III. eiusd. diss. de arteria brachii. Göttingæ 1745.

##### §. II.

Arteria humeralis plures ramos antrorsum mittit, ex quibus posteriores, eo quo se *meralis*



*Anterior.*

a principio ad finem usque excipiunt ordine, enarraturus sum. Primo spargit ramum ad os humeri. Dein alium ab illa musculus brachialis internus accipit; a quo sub imo coracobrachiali musculo quandoque arteria humeri nutritia oritur. Tertio ramum anastomoticum emittit, qui cum radii recurrente coniungitur. Denique ramum superficiale proicit.

## §. III.

*Rami po-*  
*steriores.*

Ad ramos arteriae humeralis posteriores primo profunda humeri pertinet. Hæc inter musculos extensores, brevem longumque, se abscondens, plures protrudit ramos, atque inter hos interdum humeri nutritiam. Dein cum musculis extensoribus ramum communicat. Tertio ramum musculi, brachialis internus, atque biceps, ab illa accipiunt. Postea ramum anastomoticum cum arteriæ ulnaris recurrente connectionem habentem procreat. Denique ramum ad musculum brachiale internum ablegat. Ab his rami anterioribus ac posterioribus enumerati musculi, alii vicini atque integumenta ramulos arteriosos accipiunt. Ramos dictis anastomosibus iunctos collaterales nominant. Alios ramos arteriæ brachialis minores, non in omnibus subiectis ad eundem modum se habentes, enumerare, supersedeo. Vid. *J. B. Morgagnus* in *tr. de sedib. & causs. morb. l. 4. ep. 50. art 8.*



## §. III.

Arteria cubitalis, maior radiali, & humeralis trunci continuatio est. Varios in *Arteria cubitalis.* brachio ramos v. c. ulnæ recurrentem, interosseam posteriorem atque anteriorem, nutritias ulnæ atque radii, plures musculares atque perforantes, nec non dorsalem manus &c., & dein sub ligamento carpi, ad palmam tendens, ibi arcum volæ superficialem, & ramo suo profundo arcum volæ profundum, arteriolas recurrentes, perforantes, interosseas, atque digitales progenerat. Rami hi partim cum humeralis, partim cum arteriæ radii ramulis, partim etiam inter se, complures anastomoses variisque arcus efficiunt. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. VI. tab. III.

*Obs.* Arteria interossea anterior, perforato, inter pronatores rotundum & quadratum, ligamento interosseo, ad manus dorsum perducitur.

## §. V.

Ab humerali, ad latus musculi pronatoris teretis arteria radii producitur. Hæc *Arteria radii.* ramum recurrentem & varios musculares tribuens, v. c. sublimi, profundo, supinatori brevi, flexori pollicis, pronatori quadrato &c. in teretis pronatoris superficie progreditur, atque iterum datis ad musculos ligamentum carpi, arcum profundum volæ dorsumque manus ramulis, ipsa in fine radii dorsum manus ascendens & musculis interosseis ramulos distribuens, in di-



gito indice finitur, vel missis digito indici atque pollici ramulis, arcui palmarum pro fundo inseritur. *A. de Haller* l. c. fasc. VI. tab. IIII. & V.

## CAP. X.

*Aortae descendentes rami pectorales.*

## §. I.

*Arteria  
bronchia-  
les.*

**A**rteriae bronchiales ex œsophagea, vel communi trunco cum intercostali prima dextri lateris, ex postica aortæ descendentes parte, digitæ latitudine supra intercostalium supremas ex aorta ortas, proveniunt. Truncus is bronchialis, dimisso, paullulum sub ortu suo, ramo ad pulmonem sinistrum, ante œsophagum, ad bronchiorum bifurcationem pergens, pulmoni dextro immittitur. Alias bronchialis sinistra, rarius dextra, ex ipso aortæ trunco, & dextra perraro ex mammaria interna, proveniunt. Bronchiorum radicibus harum arteriarum ramuli dati sunt. Vid. *F. Ruysch.* in dilucid. valvularum in vasis lymph. p. 22. f. 9. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. V. Eiusd. diss. de arteriis venisque bronchialibus & œsophageis. *Göttingæ MDCCXXXIII.* *D. Jo. Aug. Wölfarth* specimen anat. medic de bronchiis vasisque bronchialibus. Halæ MDCCXLVIII.

*Schol.* Arteriae bronchiales a Galeno atque Fernelio iam indicatae, sed a *Ruyschio* primum

